

nobis eterna premia promittentem. sed eciam
sequi debemus eum pro nobis in cruce du
ra supplicia pacientem ut tandem in gene
rali resurrectione sequamur eum ad eter
num conuiuium precedentem. De quarto
nota quod iohannes triplex premium recepit
a domino quia eum fideliter sequebatur videlicet
vitam eternam lucem perpetuam et iudicialem po
tenciam. Hec enim tria promittuntur eis qui
cum perseuerantia secuti fuerint ihesum xpm
De primo dicit dominus ioh. x. Oues mee
vocem meam audiunt et sequuntur me et ego
vitam eternam do eis. De secundo dicit dominus
ioh. viij. Ego sum lux mundi qui sequitur
me non ambulat in tenebris sed habebit
lumen vite. De tercio dicit mathi xix.
vbi petrus dixit ad ihesum. Ecce nos
reliquimus omnia et secuti sumus te quid
ergo erit nobis. Ihesus autem dixit illis
Amen dico vobis quod vos qui secuti estis
me in regeneracione cum sederit filius ho
minis in sede maiestatis sue sedebitis
et vos super sedes xij. iudicantes duo
decim tribus israel. Rogate ergo kmi
dominum ut eum sic hic sequamur ut in futu
ro vitam eternam et lucem perpetuam consequa
mur Quod nobis prestare dignetur

6

Sanctorum innocentum

Vidi et ecce agnus stabat super
montem syon et cum eo c. xl. milia
habentes nomen eius et nomen patris eius
scriptum in frontibus suis. Quatu
or principaliter sunt hic notanda. Primum
est quid per agnum illum qui stabat super
montem syon intelligatur. Secundum est
quid eciam per montem syon exprimatur
Tercium est quid per c. xl. milia figu
ratur. Quartum quid sit nomen agni et
patris eius quod in frontibus eorum scriptum

esse videtur. De primo nota quod per agnum
illum quem iohannes vidit stare supra
montem syon ipse dei filius intelligitur. Iste
est enim agnus quem abel primus obtulit in
ecclesie figura sicut dicitur gen. iiij. per abel
enim qui virgo fuit sancta ecclesia figuratur
que sicut apostolus dicit ad eph. v. ma
culam non habet impuritatis neque rugam
re tustatis utpote sanguine filij dei
ab omni sorde scelerum emundata et a peccati
vetustate mirabiliter innouata. Hunc
ergo agnum cotidie offert ecclesia virgo
sancta. vnde cantamus agnus dei qui tol. p. m.
mi. nobis. Hic est agnus ille pascha
lis quem assum olim filij israel comedere
iubebantur cuius eciam sanguinem existentis
in limine superliminare et vtrumque postis
domus liniebantur. Ecce expressa crucis
figura. vnde dicitur exo xij. Erit agnus
absque macula non comedetis ex eo cru
dum quid nec coctum aqua sed assum tan
tum igni. est enim phase idest transitus
domini. Fasciculum quoque ysopi tingite qui
est in limine et aspergite ex eo super
liminare et vtrumque postem. Cum autem
viderit dominus sanguinem in superliminari
et in vtroque poste transcendet hostium
et non sinet percussorem ingredi domum
vestram et ledere. Agnus sine macula
hoc est ihesus xpus qui feruentissimo passionis
igne assus est in veru crucis. ne autem ex
veru crucis laberetur duris clauis est
veru crucis affixus. Hunc filij israel. i.
boni xpiani qui ad deum transire ipsumque
videre desiderant pio desiderio comedere
dicunt. Dicunt etiam fasciculum ysopi. i. humilem
recordationem in sanguine filij dei intingere
et ex eo liminare idest quamlibet curam
de terrenis et superliminare idest quam
cumque cogitacionem de supernis et vtroque

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-183/0248
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt